



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Maximiliani Sandaei E Societate lesv Doctoris Theologi Architectvra Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

Art. I. Fides Christiana vt Fundamentum, cuius-nam impensis ponatur in
Anima, pro ædificio Spirituali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)



SERMO IV.

IMPENSÆ SIVĒ SUMPTUS

Ad locandum Fundamentum Fidei necessaria.

*Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed
sufficiētia nostra ex DEO est. 2. Corinth. 35.*

ARTICULUS I.

FUNDAMENTVM FIDEI

Cuius - nam impensis ponatur in anima pro edificio Spiritualis.



LICUBI receptum olim ferunt, ut quoniam supra facultates privatorum erat, fundamenta ædificiorum ponere, quod illa non nisi per multas substructiones, propter paludes & aquas, collocari possent, ut Reipublicæ, aut Principis sumptibus fundamentum jaceretur, reliquæ cives ipsi superædificando erigerent. (a) Id apud Venetos obtinuisse quondam sunt qui scribunt. Certè Vrbs Veneta in Adriatico mari condita, fundamenta super ipsius maris undas, & in aquis ponere necesse habuit, vnde difficillima ibi semper & maximorum sumptuum fuit ædificatio. Simile quid (liceat parvis componere magna) in Ædificio nostro, seu Domo Sapientiæ, contingere nuper meditabar. Siquidem originem suam ac fundamentum habet in aquis, ut observavit S. Basilius, conjungens fidem cum Baptismo fluminis, quod est Sacramentum Fidei: de utroque autem ita ipse disserit, libro de Spiritu-sancto cap. xi. *Fides ac Baptisma duo sunt modi paranda salutis, inter se cognati & inseparabiles: Nam Fides*

perfi-
(a) Veneta Vrbs condita in mari Anno Domini cccxxi. Atti-
la devastante Italiam.

perficatur per Baptismum, Baptismus vero fundamento Fidei niti-
tur: immò, & Fides Baptismo, cum hic sæpe præcedat fi-
dem (ut in parvulis) quare fundamentum fidei immer-
gitur aquis Baptismi, Pergit D. Basilius: & utraque res per
easdem voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem, Filium,
& Spiritum-sanctum, sic etiam Baptizamur, in nomine Patris
& Filii & Spiritus-sancti.

Cum itaq; tota Domus Spiritualis ex virtutibus Chri-
stianis constans in aquis Baptismi fundamentum habeat
& impossibile sit, ac supra omnem naturæ creatæ facul-
tatem in iis & consequenter, in anima Fidem divinam
locare: propterea enim supernaturalis dicitur; placuit
Reipublicæ Principi Deo, ad fundandum impensas
subministrare, desumptis è dilectissimi Filii sui ærario,
meritorum nummis, quorum virtute Fidei fundamen-
tum stabile ponitur, ejusdemque vi ad conservationem,
semel jacti fundamenti auxiliarem gratiam accipimus.
At verò, postquam jactum est fundamentum, requirit,
ut de suo quoque addat homo fidelis, quo reliquæ Do-
mus partes exurgant, Quod fit paulatim superædifi-
cando, non solum Christi, sed suo etiam sumptu, coo-
perans virtutum exercitatione, ut cæptum ab eo Ædifi-
cium perficiatur

ARTICULUS II.

FIDES CHRISTIANA

Donum est DEI gratuitum, & ejusdem Opus.

OB dictam causam, Fides dicitur Donum Dei gra-
tis conferri solitum. *Gratia estis salvati per Fidem, in-
quit Apostolus: & hoc non ex vobis: DEI enim Donum est, ad
Ephesios secundo. Ne quis enim initium ædificationis*

Secunda Pars.

T

homo

(*) ad Ephes. 11. 2.